



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 57. Lutheri tractatus de confessione

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI  
A. C. 1520.

per fidem, nec ab ullo fidei actionem vere, sed duntaxat specietenus bonam exerceri posse. Denique ad finem libri sui inquit. ritus Ecclesiæ non contemno, non nisi superstitiones damno: cum vero Lovaniensis & Coloniensis Universitates hunc librum proscriberent, Lutherus hac super re conquestus ait. „ Quid mali fecit Sanctissimus Pater hisce Scholis, „ ut librum ejus nomini dicatum atque „ ad ejus pedes, ut illius judicium præstolaretur, provolutum ex ipsius manibus eriperent. „

## §. LVII.

*Lutheri tractatus de confessione.*

*Luth. oper.*  
*tom. I.*  
*Steidan. in*  
*com. l. 2. p. 39.*

Lutherus, ut Saxonix Electorem adversa valetudine pressum firmaret, eidem duos inscripsit libellos, unum pro consolatione afflictorum, (\*) alterum de ratione confitendi. In primo differit de prosperis & adversis, necnon de recto eorum usu, ac de rationibus ac causis gaudii vel mæroris; in secundo autem admittit confessionis usum in verbis Christi Domini fundatum, qui confitentibus veniam pollicitus esset. Dein probandum assumit, quod verum Christianum non securum

(\*) *Hic libellus a Luthero vocatur Tesseradecas consolatoria.*

rum reddat exacta omnium peccatorum suorum discussio, sed certa Christi promissio, qui dicit ea esse remissa; hinc agebat Lutherus: ante omnia oportet coram Deo peccata confiteri ac demum ex intimo corde præteritæ offensæ odium concipere, illud autem unice ad sinceram vitæ emendationem tendere dicebat. Præterea affirmabat, quod accurata peccatorum particularium explicatio nec requiratur, nec fieri possit tum ob immensam malitiam, tum ob extremam, cui cor humanum post peccatum originale obnoxium est, infirmitatem; præcipue vero assererat discrimen esse faciendum inter peccata commissa contra Dei præcepta, & contra leges humanas, cum hæ in conscientia obligandi vi carerent. Redarguit quoque illos Theologos, qui audacter definiunt, hanc venialem, illam lethalem esse noxam, cum tamen omnes actiones nostræ, inquit ille, absque Dei misericordia, mortales ac damnatione dignæ essent. Illud etiam adoptat Gersonii consilium, ubi dicit, quod intrepide absque confessione Sacra Synaxis recipi possit, etiamsi quis vel anxietate mentis laboret, vel cujusdam peccati venialis reum se agnoscat. Insuper dubitat, an quædam peccata reservari potuerint, docetque, a conscientiarum arbitris absque

Sæml. XVI.

A.C. 1520.

Sæcul. XVI. anxietate a censuris absolutionem esse  
 A.C. 1520. impertiendam.

## §. LVIII.

*Lutheri scriptum adversus vota.*

Eodem etiam tempore libro edito votorum frequentiam vituperat, sævitiamque parentum ac tutorum deplorat, eo magis barbaram, quo ferventius eam ex pietatis obtentu explerent; his subjunxit, quod votorum usum in Ecclesiam introduxerit ignorantia, & avaritia, necnon inæqualis parentum in suos liberos affectus ac denique magnum proles e parentum domo ac cura extrahendi desiderium, cum tamen non aliud veniret negotium, majori attentione ac scrupulo discutendum, quam ipsa status perpetui electio, quapropter Episcopos, ac Verbi divini Præcones adhortatur, ut illam, qua potissimi moventur, vota emittendi propensionem e fidelium cordibus evellere conarentur; ad eundem quoque censum revocat peregrinationes sacras, quin imo effutire haud erubescit, optandum fore ut nulla alia præter Baptismi votum fierent, ac denique contendit, quod ea, quæ Deo fuissent facta, vota solvendi potestas Pontifici haud competat, nec votum castitatis ante pubertatis annos valeat, hinc a se optari ajebat, ut Religiosa professione